



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale, sev Institutio Sacerdotvm, Ex Divinis Litteris Et Vetervm Patrvm Disciplina

**Torres, Alfonso de
Ingolstadii, 1604**

Ad Lectorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48973)

AD LECTOREM.

LIBER hic, ut in ipso aditu, quidquid est
intus, tibi sit exploratum, in quatuor
partes est distributus. Prima de Sa-
cerdotis agit Institutione, Dignitate, Potestate,
& Officio, item de Missa, de Sacramentis admi-
nistrandis, de Antiquitate, Auctoritate, & vsu
diuinorum Officiorum, & Cerimoniarum, Re-
rumque ad ea peragenda pertinentium. Altera
de Moribus, ac Vita Sacerdotis ex Apostoli præ-
scripto, deque eius exteriori, atque interiori ho-
mine Componendo pluribus tractat. Tertia de
Rebus Sacerdoti prohibitis, ac de Pœnis trans-
gressori à iure, vel ab homine impositis, vel impo-
nendis differit. Quarta de Morte boni, & mali
Sacerdotis pauca refert, hæc omnia & inscriptio-
nibus, & locis communibus digesta sunt; non ta-
men ita accurate, ut nonnulla ad diuersa capita
nequeant reuocari; & aliqua forsitan alienis locis
inuenies. Quod tu desines vitio vertere, si eam ef-
se consideraueris virtutum connexionem, ut aliæ
sine aliis constare integre non possint. Et rerum
potior, quam ordinis ratio habita est. Omisi bre-
uitati consulens multa, quæ ad præsens negotium
peruenerent: siquidem ipsi libri iis de rebus apud
S. Cyprianum, S. Ambrosium, S. Hieronymum,

S. Augustinū, S. Gregorium Magnum, S. Gregorium Nazianzenum, S. Ioannem Chryso-
stomum, aliosque sanctos Patres nostros extant.
Ex amœnis, & patentibus campis satis fuit le-
gere flosculos, ex quibus, modo velit, tantum sibi
quisque conficere mellis possit, quantum & ad ne-
cessarium usum, & ad delicias sit satis. Quod si
nonnulla hic aliter citata offenderis, atque in de-
cretis Gratiani, Burchardi, Iuonis & aliorum
leguntur, id ob eam causam factum est, quia de
fonte potius, quam de rivulis hauriens archety-
pos sequutus sum, exceptis quibusdam, quæ, quo-
niam suis in locis non sunt reperta, ex auctorita-
te illa referentium, & fide hic exscripta sunt.

CAESAR